

solito significatu pro existentibus intelligatur, falsum est axioma neque debet aut potest inferri:<sup>80</sup> *Quod nihil significat eorum, quae communiter praedicantur.*

Neque etiam verum est quod subdit:<sup>81</sup> *Impossibile enim sub-*

- 5 *stantiam ex substantiis esse inexistentibus, ita ut actu. Compositum enim omne actu substantia est, ex materia et forma actu substantiis constat. Neque ad rem facit, si intelligat actu ideam in materiam descendere, ut compositum constitut. Non enim descendit sed eo modo, quo docuimus per gradus progreditur.*

- 10 *Caput 14. totum est contra ideas, in fine ait, ut quidam aiunt, quod potest non adversus Platonem esse dictum, inquit enim initio:<sup>82</sup> Separata esse simul et simul speciem ex genere faciunt et differentiis, quod nullibi apud Platonem est. Quare nihil ad ea absurdum, quae inde et hoc et capite 15. deducuntur labore.*

- 15 *Sed capite 16:<sup>83</sup> Sed ideas dicentes, hac recte quidem dicunt separantes eas, siquidem substantiae sunt, hac vero non recte, quia unam de multis ideam dicunt. Rationem reddit:<sup>84</sup> Causae vero, quia non habent reddere quidam tales substantias incorruptibiles praeter singulares et sensibles. Hoc autem falsissimum est, illas enim vere entia, haec 20 non entia: illas vere substantias, haec umbras substantiarum: illas aeternas, simplices, has corruptibiles, compositas autumant. Quomodo ergo non habent alias ab his sensibilibus?*

Quod vero ait:<sup>85</sup> *Faciunt ergo easdem specie corruptibilibus: quod tam magnum absurdum propterea sequetur, si eas eiusdem spe-*

<sup>80</sup> ὅτι οὐδὲν σημαίνει τῶν κοινῆς κατηγορουμένων [κατηγορουμένον]. [ARIST. Metaph. 1039a.1]

<sup>81</sup> ἀδύνατον γάρ οὐσίαν ἐξ οὐσιῶν εἶναι ἐνυπαρχουσῶν <οὕτως> ως ἐντελεχείᾳ. [ARIST. Metaph. 1039a.3 – 4]

<sup>82</sup> χωριστὰς εἶναι <ἄμα> καὶ ἄμα τὸ εἶδος ἐκ τοῦ γένους ποιοῦσι καὶ τῶν διαφορῶν. [ARIST. Metaph. 1039a.25 – 26]

<sup>83</sup> ἀλλ' οἱ τὰ εἴδη λέγοντες τῇ μὲν ὁρθῷ λέγουσι χωρίζοντες αὐτά, εἴπερ οὐσίαι εἰσὶ, τῇ δ' οὐκ ὁρθῷ, ὅτι τὸ ἐπὶ πολλῶν εἶδος λέγουσιν. [ARIST. Metaph. 1040b.27 – 30]

<sup>84</sup> αἵτιον δ' ὅτι οὐκ ἔχουσιν ἀποδοῦναι τίνες [τινὲς] αἱ τοιαῦται οὐσίαι αἱ ἀφθαρτοὶ, παρὰ τὰς καθ' ἔκαστα [καθέκαστα] καὶ αἰσθητάς. [ARIST. Metaph. 1040b.30 – 32]

<sup>85</sup> ποιοῦσιν οὖν τὰς αὐτὰς τῷ εἶδει [εἴδη] τοῖς φθαρτοῖς. [ARIST. Metaph. 1040b.32]